

05

A

867



1 58

Q. D. B. V.

De

# VITA HOMINIS

Disputationem I.

*Quâ examinatur simul DISSERTATIO PHILOSOPHICA*

JOHANNIS PLACENTINI, Lesnensis, in Academ.  
Viadrinâ Mathem. P. P. & p. t. Rectoris,

In Academiâ VVittebergensi

Disquisitioni publicæ exponunt

PRÆSES

## M. SAMUEL HENTSCHEL,

Lesnensis,

*Et RESPONDENS*

## M. GEORGIUS JÆNISIUS

Parchvicensis Silesius.

d. I. Octobr. Anno M. DC. LIX.

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

ГИМОНАСТИКУ

Для упражнений

всеобщий и полезный для здоровья и для счастья

и здоровьеси  
представляем



М. САМИЕР-ХИНГШЕЛЬ

05 A 867

М. ГЕОРГИЕВ-БИССИЕВ

Библиотека Университета Томска

## P R A E F A T I O .

**U**mista ad Tuam notamus Dissertationem, Clarissime PLACENTINE, nihil vel nomini Tuo, vel etiam laboribus invidemus. Neque idcirco, quia veritatem non assequaris, laudem non mereris. Scrutari illam, ut ingenuum quemque decet; ita si sequior sententia ab illâ forte nos seducat, labori suum stat præmium. Debui vero vel maximè de his placitis Tuis tecum conferre sententiam; quia video nos iisdem non tantum editos terris, sed scholis etiam innuititos, nunc toto propemodùm cœlo in Philosophia spatiis lejuncostis; si forte abjectis opinionibus præconcepitis, propriū possemus animos conjungere. Deinde quia oblata est nobis Dissertatione à Tuis profecta manibus, ut judicium de ea exquireres, non debuit nobis gratis offerri. Spero vero, eo Te accepturum animo, quo à me profectus est, laborem, indaganda seilicet veritatis cupido. Ut enim vitio mihi non potes vertere, quod à Te disideo: ita si quis cum ratione dissentit atque disensus etiam causas exponit, neminem id decet male habere Philosophum. Omnem vitam libertas, maximè tamen studiosam ornat. Hanc vero ut quis sibi servet, non metuendum vulgi judicium, nec suis tri malevolorum sermones, nec philosophantium etiam acumen: exspectandum est qualaecunq; intentionis bona, si non perfecti operis præmium, ab iis, quorum sinceritas animorum hâc se liberalitate dignam fecit. De bonis vero securi sumus. Nihil autem audebimus nisi Tuo, ô æterne Deus, auxilio. Tu perfectissima sapientia perpetuum lumen, Tuo nos illustra lumine!

A. 2

MEM.

**MEMBRUM PRIMUM.**

- |   |  |
|---|--|
| I. Quot modis vita dicatur? Autoris inscriptio.           | X. An si acceperet anima in glandula species sensiles, idcirco alibi non sentire?        |
| II. Homo an substantia corpora et incorporea?             | XI. An propter duplicita sensuum organa species unitae accipiuntur ab anima in glandula? |
| III. Quomodo homo Corpus?                                 | XII. An conventus specierum necessariò fiat in glandula?                                 |
| IV. Animæ per corpus actiones.                            | XIII. Nervi optici ubi concur-<br>rant?  |
| V. Animæ & corporis unio.                                 | XIV. Sensus communis.  |
| VI. Cartesii & Autoris incon-<br>stantia.                 | XV. Sedes ejusdem sensus.  |
| VII. Principalis animæ sedes.                             |  |
| VIII. Anima in omnibus cor-<br>poris partibus.            |  |
| IX. Anima an in solâ glandula pineali immediatè operetur? |  |

**P**rimùm omnium satis constat, duplicum esse vitam, substancialē & accidentalem: prior ipsa animæ essentia est: posterior operatio ab anima manans. Itaq; vita nunc actum primum, nunc secundum notat. De hac potissimum in praesenti instituetur tractatio, ita ut simul adversam dicti Autoris sententiam consideremus, ut ipse voluit, indagandæ veritatis gratia. Quæ autem jam nos fatigabit Dissertation Philosophica (id ei nomen fecit Autor) probat calorem & motum membrorum naturalem in humano corpore: adeoq; vitam non procedere ab anima, quæ unica est, scilicet rationalis, sed à materia cœlesti subtilissimâ, analogâ elemento Solis & stellarum fixarum. In hunc ut deve-  
niret labyrinthum per varia via Authori eundum fuit: unde fa-  
ctum ut unum quidem hunc Dissertationi suæ præscriberet er-  
xorem; sed vicenos involveret. Nos quanquam poteramus in  
solo hoc problemate subsistere: ut tamen fundamenta ejus er-  
iam perpendamus, per singula breviter ibimus.

**II.** Autor Positiones suas hunc in modum ordit. **S. I.** Homo quā homo, nec est Substantia Spiritualis seu immaterialis, nec materialis seu corporea; sed intermedia seu composita ex utraque constans cum corpore affabre constructo, ex diversis organis, suis fi-  
guris

guris, fibibus, nexus, soliditate majori minori, cum fluiditate tempe-  
rat à distinctia, subtili, materia indeſinenter mota per ſuſis, ad motus  
varios recipiendos, edendos, ſum anima rationali ſeu mente, qua in ſe intelligere ac velle, & per corporea organa ſentire, amare, odiare,  
persequi, fugere, varia prudenter agere, artificioſe perficere &c. li-  
berè potest. Felix auspiciū, error in principio. Homo nec  
materialis nec immaterialis substantia eſt. Substantia tamen  
eſt. Genus ei competit, ſed neutra ex differentia oppoſita: ad  
Genus pertinet, ad nullam vero ſpeciem ejus generis. Miramur  
Philosophiam. Argumentamur: aut homo eſt substantia cor-  
porea, aut non corporea. Si non eſt corporea, cui bono materia  
& forma conſtat. Si vero ob hoc ipsum eſt corporea, quā rati-  
one non corporea ſtatuitur? Renatus Des Cartes Princip. Phil.  
parte II. p.41. Substantiae corporeæ naturam in eo tantum con-  
ſisteret, quod sit res extensa. Eſtne homo res extensa? eſt ne  
in loco? Hieronimus Cardanus Hominem animal eſſe negat, de  
Subtil. lib. XI. quia præter animal mentem habeat. Tu corpus  
eſſe negas, quia præter corpus animam habet ſive mentem.  
Erit forſitan, qui substantiam eſſe negabit, quia præter substan-  
tiā accidentia habet.

III. Patiamur vero nos eruditī à meliori Philosophiā,  
quomodo homo substantia corporea eſt. Substantia in Spir-  
itum & corpus diuiditur. Et apud Cartesium Object. & Respons.  
fept. p.112. hoc habetur ſchema. Substantia cogitans.

Corporea ſive habens corpus      Incorporea, ſive non habens  
animus & illo utens.      corpus, nec illo utens.

Extensa & partibilis.      Inextensa &      Deus, Angelus.

Impartibilis.

Anima equi. Anima      Mens Socratis Mens

Canis.      Platonis.

Quamdiu vos toleratis hoc ſchema, non potestis proſcribere di-  
visionem. Et quidem diuſione hanc Spiritus & corpus adae-  
quate ſibi opponuntur. Solidè D. Calovius Metaphyl. Div. part.

Spec. p.172. Quaecunq; substantia est, vel immaterialis est & tamen  
pers materiæ; vel materialis, que opponuntur sibi invicem contradic-  
toriæ vel per oppositas differentias, unde nullum admittere queunt  
medium. Si quid expers sit materia, Spiritus est: si materialis sit  
substantia, corpus est. Deinde corpus hactenus in animatum &  
inanimum divisum est (scilicet compositum) neq; Autori fas  
erit eam distinctionem tollere. Erit ergo animatum corpus  
vero corpus. At vero animam habet praeter corpus. Vides ergo  
ut ex animâ & corpore constet corpus. Animatum enim du-  
abus absolvitur partibus, corpore & animâ. Non possum ani-  
mum inducere, quod significatio illa Corporis, quâ pro parte  
corporis naturalis alterâ sumitur, Autorem in errorem induxe-  
rit. Praeter enim significaciones illas, quibus corpus vel Ens notat,  
vel quantitatem triè dimensionem, vel alteram compositi partem  
cum præcisione foranæ significat etiam substantiam comple-  
tam, materiâ & formâ constantem, quo sensu dicimus homi-  
nem esse corpus. Corpus non est materia hoc loco, nec pos-  
sumus de corpore materiam in casu recto prædicare. At  
inquis forte: Homo praeter corpus animam rationalem habet.  
Sed perinde est, sive rationali, sive non-rationali animâ anima-  
tum corpus sit, animatum tamen est, corpus est. Rectè Fran-  
cis Suaroz Metaphys. Disp. XXXVI, sect. II. Substantia materia-  
lis illa est, que materiâ & formâ constat, sive forma illa materialis  
sit, sive spiritualis, dummodo sit vera forma materie. Videat ergo  
Autor, quâ ratione intermedium seu compositam ex utraq; sub-  
stantiam inducat, cuius ipse nec nomine novit nec formalem  
rationem. Certè cum Philosophi non loquitur. De homine  
~~πρόσωπον λόγον~~ Tarelli assertio est in Triumpho Philosophiae, item-  
que Davidis Gorlai in Exercit Philosoph. Exercit. XIV. Hominem ex  
animâ & corpore compositum, esse ens & unum per accidens,  
non vero per se. Dispiciat Autor, an cum his de societate posit  
transfigere.

IV. De anima ait: quod in se intelligere ac velle, & per  
corporeæ organa sentire, amare, odire, perseguiri, frangere, variæ pru-  
denter agere, artificiose perficere &c. liberè possit. Id prædicata-  
rum de organis corporeis, si generale ipsi habetur, omnibus sub-

subjunctis applicandum, propositionem hanc obelisco nota-  
mus. Sin minus; cautius jubemus loqui.

V. Pergit th.1. Adeoq; mentis seu animæ nostræ corpus quod-  
dam magis arctè & intimè, quam reliqua alia corpora conjunctum  
est, cum perspicue advertamus dolores, aliosq; sensus nobis ex im-  
proviso advenire; quos mens est conscia non à se solè proficiat, nec  
ad se posse pertinere, ex eo solo, quod sit res cogitans. sed tantum ex eo,  
quod alteri cuiuslibet rei extense ac mobili adjuncta sit, que res humānū  
corporis appellatur. Conjunctionem animæ & corporis nos etiam as-  
serimus: quanquam videatur nimis leviter de hac conjunctione  
Philosophari. §.2. Magis dicit conjunctionū corpus nostrum anima,  
quam alia corpora, quasi verò non sit conjunction toto genere di-  
versa. Autor dogma de morte hominis dicit unionem naturæ  
seu corporis & animæ solvere, in Disp. quā defendit hujus Dis-  
sert. thesin. §.ii. Admodum vereor, ut dogma in hac disserta-  
tione propositum solvat unionem naturæ, sive animæ & corpo-  
ris, aut ista duo saltē non admodum conjungat, quippe quod  
th. subseq. animam ratione functionum in solam quandam  
glandulam relegat. Nota est Platonis in Alcibiade sententia,  
quā hominem facit aliud à corpore suo, dicitq; hominem esse  
quod corpore utitur. Tales sententiaz proponendæ sunt animo,  
ut eum absurditatem earum viderimus, tanto longius ab iis re-  
cedamus. Ratio etiam Autoris, quā hanc conjunctionem pro-  
bat, non est sufficiens. Mens ex eo solo quod est res cogitans,  
conscia est ad se non posse pertinere dolores aliosq; sensus. E.  
corpus conjunctum habet. Quid si conscientia eset ex eo, quod est  
res sentiens. Tuo certè jussu non deponet sentiendi vim ani-  
ma hominis, aut si Tibi sine sensu vis animam, per nos licebit.  
Non sentit quidem dolores sine corpore anima: non tamen  
ideo, quasi ipsa sentiendi vim non haberet: neq; quia ex cogi-  
tandi facultate eam non habet, res illicet ad solum corpus de-  
volvitur.

VI. Jam nos in vastiorem altitudinem ac velut profun-  
dum invehimur, dum singularis opinio& novitatis altum se ape-  
rit, ecce quam vasto gurgite! Verba sunt §.3. Hac sedem suam  
principalem obtinet in glandula exigua, que est in medio cerebri,  
ubi

ubi functiones immediatè & specialius, quam in ceteris omnibus exer-  
cet, corpus dirigendo operâ Spirituum, nervorum, & sanguinis.  
Hausit ex Cartesio de Passion. part.I. art 31. Articuli verba sunt:  
Dari glandulam in cerebro, in quâ anima suas functiones specialius,  
quam in aliis partibus exerceat. Explicat deinde. Sciendum quoq;  
quod licet anima sit juncta toti corpori, in illo tamen est quedam  
pars, in quâ exerceat suas functiones specialius quam in ceteris omni-  
bus. Et vulgo creditur hanc partem esse cerebrum, aut fortè cor.  
Sed rem accurate examinando mihi videor evidenter cognovisse par-  
tem eam corporis, in quâ anima exerceat immediatè suas functiones,  
nullatenus esse eorū, nego, etiam totum cerebrum: sed solummodo  
maximè intimam partium ejus, quæ est certa quedam glandula ad-  
modum parva, sita in medio substantie ipsius, & ita suspensa supra  
canalem, per quem spiritus cavitatum cerebri anteriorum commu-  
nicationem habent cum spiritibus posterioris, ut minimi motus qui  
in illâ sunt multum possint ad mutandum cursum horum spirituum,  
& reciprocè, minimæ mutationes quæ accidunt cursui spirituum,  
multum inserviant mutandis motibus hujus glandulae. Et Princip.  
Philos. part.IV. p.290. Sciendum itaq; humanam animam, esti to-  
rum corpus informe, præcipuam tamen sedem suam habere in cere-  
bro, in quo solo non modo intelligit & imaginatur, sed etiam sentit.  
Deinde Autor dum aliena verba sectatur, propriæ mentis & pro-  
positæ sententiæ sensim obliviscitur. Negat animam dare mo-  
tum corpori. Hic tamen asserit animam corpus dirigere operâ  
spirituum, nervorum & sanguinis. Nervus cum in carnosas &  
musculosas partes infertur, facultatem movendi communicat  
per spiritum animalem, quem vehit. Nervus hic agnoscit im-  
perium animæ, quæ corpus dirigit operâ nervi? Igitur anima  
est causa motus principalis: nervus & Spiritus animalis instru-  
mental is. Quid hic agit materia cœlestis. Illa quæ debebat ani-  
mam ex causis motis excludere, ipsa hic miserâ oblivione ex-  
cluditur. Cartesius Tuus qui animæ præter cogitationes nihil  
relinquit de Pasf. art.17. Nihil in nobis restat, quod debeamus tri-  
buere nostræ animæ, exceptis nostris cogitationibus. Dat tamen vo-  
luntati nostræ actiones, quæ terminantur ad corpus nostrum;  
ut cum ex eo solo, quod habemus ambulandi voluntatem fit, ut  
nostra

nostra crura moveantur, & progre diamur. De Pass. Art. XVIII.  
part. I. Et quanquam habeat etiam morus, qui nobis eveniunt  
voluntate nostrâ nihil ad eos conferente: sequitur tamen ex al-  
legatis, non esse animam excludendam ab omni corporis mo-  
tu. Imò art. XLIII. part. I. de Pass. proponit, quomodo anima pos-  
sit imaginari, attendere, & movere Corpus, etiam cum incedere  
volumus, ut habet explicatio articuli. Video equidem quo-  
rum tendat Autoris assertio: nempe ut animæ operationem  
proscribat ex membris cæteris, & soli glandulæ includat, dicit  
animam dirigere corpus operâ nervorum &c. Sed dum unam  
suam opinionem adstruit, alteram destruit: columnam cui una  
innititur aufert, ut alteram fulciat. Sed patiemur labentes  
mentem suam explicet, si conciliare ista voluerit: nec incon-  
stantia eum accusabimus, modo constantiam nobis ostendat;  
imò ne errasse quidem dicemus, modò assertorum veritatem  
ostendat: gratissimum nobis erit ipsum laudare veritatis as-  
sertorem.

VII. Tria autem hinc sum iusmus disquirenda. Primum,  
*Ubi principialis animæ sedes?* De sede animæ principali magna  
invenitur sententiarum diversitas: imò de hoc ipso disputatur,  
quaæ fuerit opinio Hippocratis, Platonis, Aristotelis. Sed non  
pigebit nos difficultatibus istis immorari. Egregiè enim, hanc  
veram delectationem & Philosophicam voluptatem vocat *Cele-  
berrimus noster* (heu noster olim!) *Sperlingius*, cum animam  
animæ contemplamur. *Anthropol. lib. I. p. 61.* Nos eam sedem  
Cor dicimus, tum quia in corde præcipuè datur Spiritus in-  
fitus, animæ & corporis vinculum: tum quia è corde anima vi-  
tam communicat partibus reliquis. Toto quidem corpore se  
diffundit anima, ac pro organi ratione variè operatur; sed ra-  
tione principii ac radicis in solo est corde. Unde quot corda sunt,  
tot sunt animalia. V. laudatum modò *Sperlingium Anthropol.*  
I.II. cap. 8. Autor neq; pro corde nobiscum, neq; si Cartesium  
sequi vult, pro cerebro toto, sed pro glandulâ in medio cerebri,  
concertat, quam Cartesius intimam partium cerebri vocat.  
Inquirenti autem mihi, quaæ Autorem causa in hanc opinio-  
nem induxit, non possum invenire aliam, nisi unus Cartesi



autoritatem. Præterquam enim quod nemo hactenus Medicorum tanti æstimavit hanc glandulam, nullis illa vel partibus, vel annexis vel operationibus hunc sui principatum prodit. Magna quidem copia in corpore humano glandularum est, sed ut plurimum pro ebibendis superfluis humoribus, aut etiam pro partibus nonnullis rigandis, aut pro vasis firmandis aut divisionibus eorundem efficiendis in corpore locatae sunt.

VIII. Deinde disquirendum, an anima sit etiam in reliquo corporis partibus? Assertum est à magnis Viris animam non tantum esse totam in toto corpore; sed totam etiam in qualibet corporis parte. Ita B. Augustinus l.VI. de Trinit. c.6. P. Lombardus l.I. dist 8. quem seqvuntur Thomas atq; alii maximo numero. Nos quantum ad præsens institutum facit, asserimus animam rationalem esse in toto corpore, ita quidem, ut in qualibet corporis parte sit. Argumentamur: Omnis forma informans est in toto subjecto informationis. Anima rationalis est forma informans. E. anima rationalis est in toto subjecto informationis. Major patet, quia totius forma est non partis unius aut alterius. Minor hactenus in confessu fuit. Deinde: Quicquid est in toto subjecto informationis, illud est in singulis subjecti illius partibus. Anima rationalis est in toto subjecto informationis. E. anima rationalis est in singulis subjecti illius partibus. Major patet, quia si in parte unâ non esset, etiam in toto non esset. Argumenta hæc habet Celeberrimus Sperling. Anthropol. l.I. c.i. Siq; totius forma est & totum informat, informat omnes partes: si informat, est etiam in partibus, informat enim prærequisit unionem; neq; anima informat corpus, cui juncta non est. Non male hic Cartesius de Pass. part.I. art.30. Oportet scire animam esse reversa junctam toti corpori, nec posse propriè dici eam esse in quadam parte ejus, exclusivè ad alias, quia id unum est, & quodammodo indivisibile ratione dispositionis suorum organorum, que omnia ita ad se mutuò referuntur, ut quodam ex ilis ablato reddatur totum corpus mancum ac defectum, &c.

IX. Tertiò, an anima solum in glandula exerceat operationes immediatè. Non possumus de omnibus asserere. Non memi-

meminit, non judicat anima in hac glandula, multo minus sola. Videt in oculis, audit in auribus, & in organis singulis suas functiones obit: quantum scilicet haec organa praestant ad actiones, tantum anima in illis agit: multae enim actiones interiorus perficiuntur. Quomodo vero juxta Autorem anima in sola glandula agit & sentit? Scilicet omnia deferuntur ad hanc glandulam, quae ad animam debent pervenire, ibi impressiones externorum corporum recipit. Nos contra hanc sententiam argumentamur: Ubiq[ue] facultas aliqua animae nostrae se exserit: ibi anima nostra agit. Atqui in membris externis exserit se facultas quedam animae nostrae; E. ibi anima nostra agit. Ratio Majoris est, quia facultas non est sine subiecto, & ubi facultas agit, ibi subiectum, cuius est facultas, per facultatem agit. Minor patet, quia facultas cognoscens animae nostrae quoad sensus externos, exserit se in membris externis. Dicit quidem Cartesius de Passl. art. XXXIII. Non magis necessarium est animam nostram exercere immediatè suas functiones in corde, eo quod in illo suas passiones sentit, quam eam esse in celo, ut ibi videat astra. Sed quætimus ex Autore, annon videatur hic Cartesius suo, quod tantoperè miratur, abusus esse ingenio? Videt ne anima astra in celo, uti sentit passiones in corde? videt astra in celo esse, non videt in celo. Dicit Cartesius: alterationem sentit tanquam in corde operâ nervuli, qui ex cerebro ad illud descendit. Quâ ratione vero videntur stellæ tanquam in celo? forsitan etiam nervus aliquis ex cerebro ad cœlum ascendit. Satis quilibet videt claudum simile.

X. Audiamus vero rationem Autoris. Cum enim binos obtineamus oculos, duas manus, duas aures, & nibilominus unam & simplicem cogitationem unius rei eodem tempore habeamus, necessario oportet dari aliquem locum, in quo duæ imagines, que à duobus oculis veniunt, possint convenire in unum, antequam ad animam perveniant, ne ipse representent duo objecta loco unius. Ejusmodi autem locus nullus alius est in corpore, in quo possint uniri, quam in glandula pineali, in medio cerebri existente, in qua omnes nervi totius corporis convenient & concurrunt, prout ex anatomia corporum id clarissime patet. Cartesii sapit sapientia.



Ita ille de Pass. part. I. Artic. 32. Ratio qua me moveat, ut credam animam non posse habere in toto corpore alium aliquem locum prater hanc glandulam, ubi immediatè exerceat suas functiones, hac est; quod considerem alias omnes partes nostri corporis duplices esse, prout etiam habemus duos oculos, duas manus, duas aures, & denig; omnia organa nostrorum sensuum externorum sunt duplicitas. Et quia non nisi unam & simplicem cogitationem unius rei eodem tempore habemus, necesse sit oportet dari aliquem locum, in quo due imagines, que a duobus oculis veniunt, aut duae illae aliae impressiones, que ab unico objecto veniunt, per duplicitas organa aliorum sensuum, possint convenire in unum, antequam ad animam perveniant, ne ipsi representent duo objecta loco unius. Et facile concipere est has imagines, aut alias impressiones uniri in hac glandula, operâ spirituum, qui replent cavitates cerebriz; sed nullus locus aliud in corpore est, in quo ita possint uniri, nisi quatenus in hac glandula unita fuerint. Sed ad Autorem. Primum examinanda est consequentia, cuius videtur aliquantum negligens. Ponamus dari aliquem locum in quo convenienter imagines, ponamus etiam locum illum esse glandulam pinealem: ergone anima in hac sola glandula sentit & functiones immediatè exercet. Unius positio non est alterius exclusio, habet nostra Philosophia; vestra si aliud sapit, per nos licet. Quid obstat, quo minus anima, ut hic species à sensibus externis transmissas accipit, ita in membris externis & per ea membra, ab objectis emissas easdem accipiat. Ut enim glandula ista sine anima non accipit imagines; ita neq; putamus membra extera sine anima easdem accipere posse. Voluit natura per duas species acceptas unum objectum videri; sed voluit etiam utrumq; ipsa efficere, ideoq; dedit homini sapientissime duos oculos, dedit etiam sensum communem: dedit anima potentiam videndi; dedit etiam iudicium sensuale: dedit sensus externos, dedit internos, omnia cognitionis gratia. Quicquid vero homo cognoscit, non cognoscit sine anima.

XI. Sed videamus etiam de veritate eorum, quæ interim posuimus. Binos, inquit, obtinemus oculos, duas manus, duas aures, & nihilominus unam cognitionem unius rei eodem tem-

tempore habemus. E. necesse est dari aliquem locum, in quo  
duæ imagines, quæ à duobus oculis veniunt, possint convenire in  
unum. Est ne hoc etiam necessarium, cum unum habemus sensus  
instrumentum? aut quæ ratio ibi postulat communem conven-  
tus locum. Si dixerit oportere illam uham speciem ad cœteras,  
ut ibi anima eas possit accipere, adgregari in glandulâ circulum  
facit. Anima sentit in glandulâ, quia ibi species sensiles con-  
veniunt duorum organorum. Sed è devenient etiam species  
unius organi, quia anima ibi sentit. Aut detur alia ratio, cur  
unius organi species in glandulam mittatur. Patimus autem  
transire illud Cartesii: *Omnia organa nostrorum sensuum exter-  
norum sunt duplia.* Quis enim contra acumen illud vel  
hiscere?

XII. Ostendendum etiam est, non differri omnem or-  
ganorum conjunctionem, donec ad glandulam pinealem res  
deveniat. Ejusmodi autem locus nullus alias in corpore est, ait,  
in quo possint uniri quam in glandulâ pineali; in quâ omnes nervi  
totius corporis conveniunt & concurrant, prout ex Anatomiâ cor-  
porum id clarissime patet. Sed qui Anatomiâ hic profitetur  
Autor, non observavit, quod nervi optici, antequam à cerebro  
ad oculos perveniant, in itinere conjungantur, & quidem non  
per *χαρούς* & intersectionem, nec per contactum simplicem,  
sed per medullâ confusione, ut alterum ab altero nulla arte  
secernere queat. Ut habet Andreas Laurentius Clarissimus  
Medicus Histor. Anatom. lib. XI. c. 8. Qui inter cœtera ideo  
etiam coire putat nervos opticos, ut visibilium formæ & spectra  
unirentur. Igitur locus aliquis adest in corpore aliis in quo  
possint uniri duæ visibles imagines. Quanquam etiam alias  
sunt conjunctionis hujus causæ, quarum præcipua est, ut uno  
oculo laeso alter salvus maneat, & universus spiritus visivus ad  
oculum sanum transiret. De glandulâ verò pineali, quæ & Me-  
dicis *νευροεδη* itemq; *νευρόπτον* dicitur, nescio quæ Anatomia  
Autori dictaverit, in eâ omnes nervos totius corporis convenire.  
Cum nervis parùm illa aut nihil habet commercii, quanquam  
venis & arteriis in cerebrum fusi, reliquarum glandium instar  
pro fundamento esse credatur, ut refert Jac. Laurent. Hist. Anat.

lib. IV. sine rupturâ tamen nervorum è loco suo eximi potest.  
Vidérat ergò Autor, quo jure Anatomiam causâ suæ patro-  
nam advocarit.

XIII. Adjicit exemplum illustrationis gratiâ. Sic animal  
aliquod ad nos veniens, lumen reflexum ab ejus corpore pingit duas  
illius imagines, singulas in singulis nostris oculis, que ad unum pun-  
ctum glandis tendentes, ibi ob concursum nervorum, unam tantum  
figuram hujus animalis representant. Etiam exemplum hoc è Car-  
tesio mutuô sumpfit. Des Cartes, de Pasl. part. I. art. 3. Sic exempli  
gratiâ, si videamus aliquod animal ad nos venire, lumen reflexum ab ejus  
corpore pingit duas illius imagines, singulas in singulis nostris oculis;  
Et haec duas imagines efformant duas alias operas nervorum opticorum  
in superficie interiori cerebri, que spectat ejus concavitates; tunc  
inde opera spirituum, quibus haec cavitates plena sunt, haec imagines  
ita radios suos emittunt versus glandulam, quam hi spiritus ambiunt,  
ut motus, qui quodlibet punctum componit unius harum imaginum,  
tendat versus idem punctum glandis, versus quod tendit motus qui  
format punctum alterius imaginis, qui representat candem partem  
hujus animalis; quâ ratione ambae imagines que sunt in cerebro, uni-  
carnunt taxat componunt super glandem, que agens immediatè in  
animam ostendit ipsi figuram hujus animalis. Non disputabimus  
nunc de ortu specierum visibilium, quod parùm ad præsens ne-  
gotium faceret. Quod vero imagines ad unum punctum glan-  
dis tendant, Autoris hypothesis est, cui duas subjungit alias,  
quas eadem facilitate rejicimus, quâ illæ hic ponuntur: 1. quod  
concurrunt nervorum opticorum in glandula pineali fiat. 2. quod  
figura animalis una præcisè in glandula representetur. Porro si  
concurrunt nervorum opticorum unius imaginis causa est, ne-  
cessere est ibi fieri unam imaginem ex duabus, ubi nervi optici  
conjunguntur. Quod ubinam fiat, docet corporis humani com-  
positio. Nervorum opticorum pars à spinalis medullæ initio,  
qua crura fornicis duo exporriguntur, profectum, in medio sece  
itinere jungit, (scilicet juxta sellam sphenoides, secundum  
Andr. Laurentium Hist. Anatom. I: XI. c. 8.) moxq; separatum  
per foramen utrumq; primum ossis cuneiformis in oculum tan-  
dem dextrum sinistrumq; consernit, ut ab Anatomicis habe-  
mus,

mus, & imprimis Experientissimo Dn. D. Michaeli Sennerto;  
Anatomes in hac Academiâ Professori celeberrimo; hoc bene-  
ficium debemus.

XIV. Quomodo verò dux imagines unum objectum re-  
präsentant? Ut nostram hic exponamus sententiam, putamus  
objectum dupli instrumento apprehensum unum censi ope-  
rà sensus communis: non efficit illud localis aliquis concursus.  
Etiam si itaq; in utroq; oculo rei visibilis fiat perceptio, in oculis  
tamen de sensibilibus non sit judicium; sed in cerebro sensus  
communis de iis judicat. Hic unam rem visibilem duobus  
oculis perceptam, unam & non geminam judicat. Hic unum  
sonum utraq; aure acceptum, unum esse cognoscit. Hic sen-  
suum externorum veluti centrum quoddam, in quo confluunt  
eorum imagines & objecta. Hic specierum judex & arbiter. Ita  
eum depingit Celeberrimus Sperlingius Inst. Phys. lib. VIII. c.3.  
*Sensus communis regis instar aut judicis velut in throno aut pro tri-  
bunali sedens, ab externis illis quinq; sensibus ceu ministris fidelibus  
singillatim visa, audita, odorata, gustata, tactataq; estimat &  
djudicat.* Non ignoravit hunc sensum communem Des Cartes  
qui Dioptr. cap. IV. ait: *Anima non propriè sentit, quatenus est in  
organis sensuum exteriorum, sed quatenus in cerebro, ubi illam fa-  
cultatem exercet, quam nuncupant sensum communem. Sic vul-  
nera & morbi qui cerebrum ledunt in universum omnes sensus tol-  
lunt, quum corpus interea nihilominus animatum sit.*

XV. De loco seu sede hujus sensus communis disputatur  
à Philosophis. Franciscus de Oviedo Philos. Tom. II. de *Animâ*  
*Controv.* q. punclo 2. ita colligit sententias, & suam etiam expo-  
nit: Sensem communem residere in corde, putarunt Aristote-  
les & Chrysippus cum suis. Galenus acriter in hac parte invehi-  
tur in Arist. I.I. c.3. de placitis Hippocratis & Platonis, aitq; coecē  
ad coecos Aristotelem fuisse locutum ex ignorantia Anatomiæ.  
Defendo cum communi sententiâ sensum communem residere  
in cerebro. Hæc est communis recentiorum sententia, quam  
probat Galenus I.II. c.11. Anatomicâ experientiâ, quæ mon-  
strat in organis omnium sensum nervos quosdam, per quos  
sensationes deferuntur ad cerebrum, & spiritus animales tra-  
huntur

buntur ad sensationum officinas. Hæc ille. In specie verò quod  
ad situm & loci discrimen attinget, non modo *Arabum*, sed etiam  
*Alberti Magni*, *Thome Aquinatis* & aliorum est opinio, in faci-  
pate esse sensum communem; in capitis medio Phantasiam; in  
occipite memoriam. Nos cum André Laurentio Hist. Ana-  
tom. lib.X, statuimus universam cerebri substantiam principum  
omnium facultatum sedem esse, quæ si paulò siccior exsisterit,  
aptius memorabitur; si humidior, melius imaginabitur. Quem-  
admodum & Fernelius sensus istos situ loco distingvi negat.  
Porro *Laurentius* ita principes facultates omnes in universo ce-  
rebro contineri vult, ut non neget in hac magis quam in illa ca-  
vitate aliam alia magis vigere, prout spiritus in hac, quam in illa  
cavitate tenuiores sunt, perfectiores, & magis elaborati. Au-  
tor, si de sede sensus communis queratur, pro glandulâ suâ sen-  
tentiam dixerit, in quâ anima & sensus communis & cœteras suas  
functiones exercet. Sed dictum jam est de glandulâ & funda-  
mento hujus sententiae. Mirum verò tam diffusam sapientiam,  
quam pollicetur sibi Cartesiana Philosophia, in tantillâ  
glande habitare posse.

## SOLI DEO GLORIA.



054 867 (112)



Sb

Vom





1 58

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q. D. B. V.

De

# VITA HOMINIS

Disputationem I.

Quā examinatur simul DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
JOHANNIS PLACENTINI, Lesnenfis, in Academ.  
Viadrinā Mathem. P.P. & p.t. Rectoris,

In Academiā VVittebergensi  
Disquisitioni publicæ exponunt

P RÆSES

M. SAMUEL HENTSCHEL,  
Lesnenfis,

Et RESPONDENS

M. GEORGIUS JÆNISIUS  
Parchvicensis Silesius.

d. I. Octobr. Anno M. DC. LIX.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

